

02
10. 10. 1910
105. 10.

POPIS PUBLICZNY

U C Z N I Ó W

Wojewódzkiej

SZKOŁY WOJEWODZKIEJ

LUBELSKIEJ

ODBYWAĆ SIĘ BĘDZIE w DNIACH 21, 25, i 24, LIPCA r. b. 1827.

N A K T Ó R Y

PRZESWIETNĄ PUBLICZNOŚĆ

R E K T O R

WRAZ z ZGROMADZENIEM

Z A P I S



INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAŃ
BIBLIOTEKA
00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat
Tel. 28-68-69



W o l n o d r u k o w a ć

w *Warszawie* dnia 25. *Maja* 1827. r.

Radca Stánu Dyrektor Jeneralny Wychowania Publicznego

J. K. SZANIAWSKI.

POPIS PUBLICZNY

Po odbytych, stosownie do Przepisów, tygodniowym examinie prywatnym od dnia 13 do 19, i odprawieniu Stęy Spowiedzi w dniu 20. 1. m: Popis Publiczny odbywać się będzie w następującym porządku;

dnia 21. Lipca. KLASSA I i II.

Po wysłuchaniu Mszy Stęy od god: 8 do 9. Nauka Religii i Moralności
9 — 10. Język Polski i Łaciński
10 — 11. Arytmetyka i Jeometrya
11 — 12. Jeografia, Historia Powszechna i Polska
12 — 1. Historia Naturalna, Deklamacye, okazywanie ćwiczeń, wzorów Kalligrafii i Rysunków.

dnia 23 Lipca. KLASSA III i IV.

od god: 8 do 9. Nauka Religii i Moralności,
9 — 10. Język Polski, Łaciński i Grecki,
10 — 11. Język Niemiecki i Francuzki.
11 — 12. Matematyka.
12 — 1. Jeografia, Historia Powszechna i Polska,
1 — 2. Fizyka, Historia Naturalna, w końcu Deklamacye i ćwiczenia.

dnia 24. Lipca KLASSA V. i VI,

od god: 8 do 9. Nauka Religii i Moralności.
9 — 10. Historia Naturalna Fizyka i t. d.
10 — 11. Matematyka.
11 — 12. Jeografia, Historia Powszechna i Polska.
12 — 1. Język Niemiecki i Francuzki.
1 — 2. Literatura Łacińska, Grecka i Polska; a w końcu Deklamacye i ćwiczenia.

EXAMEN DOYRZAŁOŚCI czyli KWALIFIKACYJNY.

W dniach 25, 26, i 27 Lipca, Uczniowie Klasy VIéy drugoletni chcący uzyskać świadectwo kwalifikacyjne, zdawać będą Examen ze wszystkich przedmiotów naukowych w Szkole Wojewódzkiej wykładowych. Nayprzód Professorowie czytać będą uwagi nad pismami, które Kandydaci w podanych sobie materyach pod dozorem Zwierzchności więziku: Polskim, Łacińskim, Niemieckim i Francuzkim wypracowali; poczem nastąpi ustny examen,

POPIS MUZYCZNY.

Pod kierunkiem Nauczyciela Muzyki Romme za łaskawém Wysokiej Kommissyi Rządowej W. R. i O. P. upoważnieniem, już od dwóch przeszło lat Uczniowie niektórzy Szkoły Wojewódzkiej tutejszey doskonalący się tak w wokalném iako i w instrumentalnym Muzyce, w dniu 28. Lipca od godziny 9. rano zdawać będą w Sali popisowey próbę swojego w tye sztuce postępu.

Umieszczamy tu szczegóły, które być mają wspomnionego Popisu przedmiotem:

1. *Teorya* wyższa początkowa, iako to: o taktie, o znakach metodycznych, o tempie, czyli ruchu prędszym, lub wolniéjszym, o akordach głównych pierwotnych, czyli tereyowych maior i minor, o akordzie rządzącym, czyli z małą septimą, i o tychże użyciu.
2. *Teorya* wyłączna co do Skrzypców: o trzymaniu Skrzypców i smyczka i tegoż prowadzeniu, o aplikaturze, czyli 7miu pozycjach, ostrychach i odcieniowaniach *expressynych*.
3. *Praktyka*: Odegrają Uczniowie Quintet *Brandla*, to jest na 2. Skrzypcach, 2. Altowkach i Basetli, podług metody akuratney, czyli podług *Haydena*, *Mozarta* i innych, a powszechnie używaney we wszelkich *exekucyach* kompletno-harmonijnych, iako to: kościelnych, operycznych, *Synfoniach* i t. p.; ogólnie zaś we wszelkich towarzyszeniach (*accompagnements*).—
4. *Spiew* jest głównym przedmiotem w nauce muzycznej przy Szkole Wojewódzkiej, co w roku zeszłym na *Examinie* było usprawiedliwio-

ném; że zaś w ciągu roku tego kilku Uczniów dla różnych powodów ubyło, a z tąd brak zupełnie altów i zmniejszenie diskantów niedo-
zwala, ażeby kompletny śpiew exekwowanym został, przeto w mié-
scu tego, Arva z Opery *Tankred*, na tenor solo z towarzyszeniem
w Kwintecie, exekwowana będzie.

5. Odegrają Uczniowie Kwartet *Rodego* z *Ees* podług metody śpiewnéy, czyli podług *Rodego*, *Baylota* i *Kreyzera* wyłącznie używanéy tylko w exekucyach produkcyjnych solo zwanych, które to odegranie, nie tak dla popisywania się zadowolniającego ma być wykonaném, iako raczéy dla okazania, iż uczniowie już i w téy metodzie są uspo-
sabiiani, gdzie kilku prim grać będą, —
6. Dla okazania, iż Uczniowie nie tylko sami z sobą, lecz że są utspo-
sobieni i do towarzyszenia w kompletniejszych exekucyach, uproszo-
na Elewa tegoż Nauczyciela exekwować będzie na fortepianie Kon-
cert *Kiesa* z *Es*, w którym Uczniowie towarzyszyć będą,
7. Na zakończenie, odśpiewają uczniowie wszyscy choralnie Modlitwę
błagalną do Naywyższego o zdrowie i długie życie N. KRÓLA i PANA
naszego.

Z A K O Ń C Z E N I E.

Tegoż dnia t. i. 28. o godz: 4. po południu w Sali popisowéy odczytane
zostaną promocyje i pochwały, tudzież rozdane będą świadectwa kwali-
fikacyjne i nagrody w książkach i pieniądzech nayspilniejszym i nayoby-
czayniejszym Uczniom. Potém wszyscy udadzą się do Kościoła dla od-
śpiewania Hymnu Ś. Ambrożego.

Wpisy na rok przyszły szkolny 18 $\frac{2}{3}$ odbędą się w dniu 15, 16, 17,
18 i 19 Września, a Szkoły rozpoczną się w dniu 20. Września.

O S O B Y.

składające Zgromadzenie Nauczycielskie przy Szkole
Woiewódzkiéy Lubelskiéy i przedmioty przez nie
wykładane w r: szkół: 182 $\frac{6}{7}$.

Rektor SMOLIKOWSKI Andrzej dawał Naukę Obyczaiową w Kl: I, II, III, i IV.
Pręfekt X, BOGUSŁAWSKI Jerzy Naukę Religii we wszystkich Klassach a
Naukę Obyczaiową w Kl: V. i VI.

Professorowie NEUBURG Ignacy Historią Powszechną w Kl: III, IV, i V, Polską w IV, V i VI, Rossyjską w Kl: VI, Jeografią w Kl. VI,
 WITKOWSKI Witalis dawał Język Polski i Łaciński w Kl: II, Polski w Kl: V i VI,
 OSTROWSKI Franciszek Matematykę w Kl: IV, V i VI a Fizykę w Kl: V.
 DYSIEWICZ Felix Język Łaciński w Kl: IV, V i VI, Grecki w Kl: V i VI.
 KONCEWICZ Łukasz Język Łaciński w Kl: IV, V i VI, Grecki w IV, V i VI.
Zastę: Profess: CHĘCIEWSKI Woyciech Arytmetykę i Jeometrią w Kl: II i III, Fizykę w Kl: III i IV. Historią Polską w Kl: II i III.
Nauczyciele ZIMMERMANN Józef dawał Język Niemiecki i Literaturę w Kl: III, IV, V i VI, Łaciński w Kl: IV.
 KLIMKE Jerzy Kalligrafią w Kl: I i II, Rysunki w I, II i III, a w godzinach wolnych Rysunki w Kl: IV, V i VI.
 CHRAPCZYŃSKI Józef Arytmetykę w Kl: I, Historią Naturalną w II, III, IV i VI, Chemią w Kl. VI.
 DUDZIŃSKI Felix Język Polski i Łaciński w Kl: III.
 BRANCIARD Jan Język Francuzki i Literaturę w Kl: III, IV, V i VI.
Zastę: Nauczy: NIEDABYLSKI Ignacy Jeografią w Kl: I, II, III, IV i V, Fizykę w Kl: II, Język Polski w Kl: IV, Botanikę w Kl: V.
 KŁOBOTOWSKI Apollinary Język Polski Łaciński i Historią Naturalną w Kl: I, Historią Powszechną w I i II.
 Prof: Ostrowski, Z. Prof: Chęciewski, Nauczy: Chrapczyński i Niedabyłski oprócz Nauk w Klasse wykładanych, starali się w godzinach oddzielnych obeznaymiać Uczniów praktycznie z przedmiotami Matematyki, Fizyki, Chemii i Historji Naturalnej.
 Kuratorem Szkół Woiew: Lubelskiego iest W. WILCZOPOLSKI Stanisław. W pierwszym półroczu było Uczniów 460, w drugim 450.
 Klasa III i IV, podzielone były na dwa oddziały.
 Dozorem Biblioteki trudnił się Prof: Neuburg; Muzeum Z. Professo: Chęciewski,

Biblioteka w r. b. otrzymała w darze:

1. Od JWéy z Hrabów Krasieńskich Jeraczewskiej Powieść narodową oryginalną przez Polkę napisaną pod tytułem Zofia i Emilia r. 1827 w dwóch tomikach,

2. Od JWgo Dominika Boczarskiego Depntowanego Miasta Lublina dzieło rzadkie i kosztowne z 212 rycinami illuminowanemi we trzech tomach: *Monumens ineditis de l'Antiquité, statues, peintures antiques, pierres graveés, bas-reliefs de marbre et de terre cuite expliqués par Winckelmann a Paris 1808,*
3. Od W. Chęcińskiego Prof. *Auszug aus den Anfangsgründen und dem Lehrbegriffe der Matematischen Wissenschaften — Aufgesetzt von W. J. G. Karsten, Greifswald 1781.*
4. Od ś. p. Romana Wybranowskiego Magistra Oboy: *Praw, przed 4ma laty Ucznia Szkoły Woiewódzkiéy Lubelskiéy.*
 - a. Dzieie w Koronie Polskiéy za Zyginunta Igo i Zygmunta Augusta przez Łukasza Górnickiego.
 - b. Sprawiedliwość długim zbiorom i memoryalom mieyskich niby praw dość czyniąca.
 - c. Granica między Władzami Sądowemi Duchowną i Świecką,

Do Muzeum ofiarowali:

1. W. Pawłowicz Professor Uniwersytetu Królewsko Warszawskiego:
 - a. Kryształy granatów wyięte ze skały granitowéy w okolicach Warszawy odkryte przez Uczniów Szkoły przygotowawczéy do Instytutu Politechnicznego.
 - b. Granaty większe w granicie rozsiane, w okolicach Warszawy odkryte przez Uczniów téyże Szkoły.
 - c. Asbest biały.
 - d. Żelazo Oligist z wyspy Elby przez Prof: Pawłowicza przywiezione.
2. W. Kuberski Professor Emeryt ofiarował wielkie rogi żubra.

Za dary tu wyliczone Rektor Imieniem Instytutu podziękowanie oświadcza.

Do Programmatu niniejszego przylącza się rozprawa o *Muzyce u Gréków i Rzymian*, szczególniéy pod względem iéy wpływu na wykształcenie obyczajów i mowy, napisana przez Łukasza Koncewicza Professora Literatury starożytnéy przy Szkole Woiewódzkiéy tutejszéy.

* * * * *

De usu et vi musicae apud Graecos et Romanos.

In magnam sane multitudinem gravissimarum ac diligenti contemplatione dignissimarum rerum, quas continet antiquitas, mea quidem sententia, ea, quæ de musica in veteribus leguntur scriptoribus, optimo jure sunt referenda. Ex innumeris enim locis, in quibus artis eius fit mentio, plane perspicere licet, plurimum ei tribuisse veteres, imprimis vero Græcos; eoque factum, ut nulla inveniretur disciplina, cuius usus aut frequentior esset, aut latius extenderetur. Cuius quidem rei indagatio cum ad ingenium naturamque celeberrimorum antiquitatis populorum accuratius cognoscendam magni momenti esse videatur; operæ pretium facturum me puto, si de hac arte vobiscum Juvenes ornatissimi, disciplinæ nostræ alumni, nonnulla communicavero.

Sed antequam de re proposita dicere incipiam, quædam de ipso musicæ nomine præmittenda esse existimo. Latius omnino apud veteres vis eius vocis patebat: huius enim artis studio omnis fere ingenui animi cultus continebatur; itaque præter numerorum modulationem, poesis etiam, eloquentia, aliæ sæpius disciplinæ, quibus ad humanitatem juvenilis aetas informari solet, comprehendebantur. Nos quidem de ipsa canendi arte præcipue disserere suscepimus; at aliorum sit inquirere et iudicare, ad quem perfectionis gradum eam antiqui provexerint, si id quidem quo pacto explorare se posse putent; nos autem propositum habemus, horum tantum gravissima, quæ de multiplici eius usu in veteribus auctoribus occurrunt, colligere, et, quantum id quidem in nobis erit, videre, tum quod in illa arte perficienda Græci et Romani habuerint consilium, tum qualem inde fructum reportaverint.

Ac primum quidem, Græci quid de hac arte senserint, videamus. Præter multa alia, quæ hic in medium proferri possint, id omnino haud leve argumentum suppeditare videtur, cultam ab antiquissimis temporibus in hoc populo artem eam, ac præcipuo in honore habitam fuisse, quod,

cum eam utilissimam esse viderent Græci, de eius vero origine, quippe antiquissima, nihil haberent certi, non eam tribuerent mortalibus, sed ad deos referrent; itaque et Apollinem et Mercurium et Minervam et Panam auctores musicæ esse perhibent.

Homerus etiam testis luculentissimus est Græcos magni musicam fecisse; quotiescunque enim mentionem eius facit, semper morem temporum suorum secutus, declarat maxime ea delectatos fuisse homines, ac in gratissimis deorum muneribus eandem duxisse: a) proinde et Paridem b) et Achilem, c) virum illum gravissimum, huius artis peritos refert; immo Hercules, inter deos habitus, musicæ disciplinam a Lino percepisse fertur.

Nec mihi quidem silentio prætereundus Virgilius videtur, qui, in felicitate Elysii adumbranda, talem eam proponit, qualem vita heroum sensibus subiicere poterat; ideoque, inter cetera umbrarum oblectamenta, Orpheum quoque, aliis saltantibus atque cantantibus, lyra accinere memorat. d). —

Nec alia sane causa est, quod usus musicæ frequentissimus in rebus Græcorum sacris legatur; qua enim arte ipsi summopere delectabantur homines, eam etiam diis, quippe qui omnia cum mortalibus communia habere putarentur, in deliciis esse existimabant.

Præterea id quoque admodum probat, musicam honestissimum apud Græcos obtinuisse locum, quod epularum tempore, quas omnino ex opinione veterum cum rebus divinis coniunctissimas fuisse constat, ea uterentur, laudesque deorum vel heroum in conviviis musica administra celebrarent. — e) Atque ut regibus et heroibus id moris erat, ut in conviviis *aidous* adhiberent, ita etiam diis epulantibus Apollinem et Musas cecinisse apud Homerum legimus. f)

Multa quoque occurrunt testimonia, in remilitari, ab antiquissimis temporibus musicam usitatam fuisse. In aliis etiam gravioris momenti rebus, veluti in nuptiis, in sepultura veteri exemplo et instituto inductus mos erat, ut vel cithara vel tibia vel aliud quiddam simile constanter adhiberetur.

a) Odyss: 8, 43. 45. — 17. 518. 520.

b) Il: III. 54.

c) Il: IX. 186.

d) Aen. VI. 644. seqq.

e) cf: Odyss: I. 152. Virg: Aen. I. 740 seqq. Quod quidem a diis ipsis institutum esse Homerus refert: „Od. 17. 270. „Et lyra quam sociam dapibus superi iunxerunt” —

f) Il: I. 603.

Lycurgus, quem quidem durissimarum legum auctorem fuisse constat, licet multarum rerum usum penitus interdixerit, musicam tamen non modo non vetuit, sed eam quoque summopere coli iussit. g)

At si nobis nulla alia ad rem nostram probandam essent documenta, vel ex eo satis pateret, plurimum huic arti tribuisse Græcos, quod more receptum fuit, ut in gravissimis institutionis puerilis musica haberetur partibus; cuius quidem rei, inter plura alia, exemplo ea sunt, quæ de Epaminonda memorantur. h)

Accedit, quod in ludis Græcorum solennibus, in deorum honorem summa cum festivitate celebratis, musicos etiam certasse, præmiumque reportasse legamus. Jam vero quo evidentius id appareat, si non omnes, celeberrimos tamen huius populi ludos videamus. Et primum quidem ad Olympios quod attinet: in iis, posteriore saltem tempore, aliis certaminibus musica etiam accessisse constat. In Isthmicis teste Platone musici quoque in certamina prodibant. Idem de Nemeis intelligendum, in quibus et Olympus et Orpheus et Linus et Eumolpus et alii vel tibia vel cithara vel cantu certasse perhibentur. Multo minus in dubium vocari potest, in Pythis peritos musicæ de palma contendisse. Immo primis temporibus nulla alia in his, nisi musica certamina fuisse proposita legimus, præmiumque eos obtinuisse, qui præclarissime laudem Apollinis Pythii cecinissent. Optimi poetæ, qui quidem nec carmina a se condita ipsi canere possent, nec accinere lyra, ab his excluderentur ludis; at alii, dummodo essent cantandi periti, victores evadere poterant, quamvis non suum, sed ab alio quodam poeta compositum poema cecinissent. i) Nec sane deesse omni tempore poterant, qui, acerrimo cum studio atque ardore, cum ad alia, tum ad hoc etiam certaminis genus confluerent; imprimis cum validi stimuli ac incitamenta accederent; maximus enim victoribus exhibebatur honos, cum non solum plausu a spectatoribus exciperentur, verum etiam coronarentur, carmina in eorum laudes canerentur, l) atque epulæ instituerentur publicæ.

A*

g) Plutar. in institutis Laconicis.

h) Corn: Nep. vit: Epam; et in præfa:

i) cf. docta disputatio: von den musikalischen Wettstreiten der Alten — Neue Bibliothek der schoe: Wissenschaften to: 7.

l) Superest carmen celeberrimum Pindari Pyth: 12. quo laudes Midæ prædicat, qui tibie cantu in ludis vicerat.

Sed iam ad alteram quæstionis nostræ partem accedamus, ac videamus, quæ causa potissimum fuerit, quod Græci, quorum quidem sapientiam multis in rebus admirari solemus, musicam maxime coluerint. Non demulcendis vana quadam oblectatione animis inservire eam disciplinam putabant Græci, sed vim eius gravissimam in eo agnoscebant, quod eadem homines quam maxime molliori, atque ad virtutem formari possent. Et primum quidem, ut ab antiquissimis initium sumatur, huc pertinent ea, quæ de Orphei, Amphionis aliorumque citharæ vi et efficacitate inscriptoribus occurrunt: licet enim hæc fabulis præter veritatem sint aucta, non tamen pro inanibus penitusque falsis habenda. Inter omnes porro Græciæ populos nullum profecto magis musica delectatum fuisse scimus, quam Arcades, apud quos, ut etiam apud alios, ex ipsa legum disciplina pueri erudiebantur hac arte, quippe cuius magna vis ad molliendos hominum, urbes non incolentium, mores esse pataretur. Polybius, m) quum de Arcadibus dicit, eosque et humanitate et pietate ceteris excelluisse refert, eas omnino virtutes usui musicæ apud eundem populum quam maxime frequentato tribuit; at Cynæthenses contra, qui et crudelitate et scelere omnes illius ætatis Græcos superarunt, ideo tales evasisse videri sibi tradit, quod præclara maiorum instituta, quæ usum musicæ spectabant, penitus neglexerint.

Multum quoque ad rem nostram facit princeps ille ingenii et doctrinæ Plato, qui musicam, ait, concinnitatis opificem, non luxus, nec delectandarum aurium gratia, a diis datam esse hominibus, sed ut animi sæpe incontinentia et errore luxuriantes in ordinem eius opera redigi possent.

Eadem est Plutarchi, in egregio de musica commentario, sententia, qui, inter alia gravissima, hæc quoque habet. Si quis musicæ eum modum, qui ad probe instituendam adolescentiam conducit, labore industriaque consecutus, prima ætate accuratius fuerit formatus, is pulchra quidem laudabit et amplectetur, vituperabit autem his adversa, non in musica tantum, verum in aliis etiam rebus, eritque homo ejusmodi omnis turpis actionis vacuus, maximum hunc fructum e musica consecutus, quod cum sibi ipsi, tum civitati, plurimum proderit, nullo neque dicto neque facto inconcinno utens, sed ubique decorum modumque servans,

m) lib. 4. c. 20, 21.

Quae quidem antiquorum opinio, quibus innitatur fundamentis, paulo diligentius videamus. Numerum et modum omnibus in rebus plurimum valere veteres philosophi, Pythagoras, Plato aliique existimabant; qui nisi esset, cuncta, quae molem mundi constituunt, in miseram confusionem delaberentur. Ita etiam de hominibus sentientes, ab ineunte aetate musicae disciplina eos imbuendos curabant, ut iam pueri numeris assuefacti, omnem etiam vitae cursum, ad normam quandam ac modum dirigere docerentur. n)

Verum ut melius intelligamus, quantum efficacitatis musica habeat, praeter haec, quae ex opinione veterum dicta sunt, observemus oportet, ita natura comparatum esse, ut iis rebus adhibitis, quibus maxime delectemur, facillime, quo quis velit, deducere nos possit: iam vero quis hominum adeo agresti ac duro animo est, quem non commoveat, mira voluptate non perfundat, atque ad se quodammodo non rapiat suavissima sonorum varietas? o) Ita sane: est quaedam recondita et difficilis explicatu vis musicae, cui nescio an quisquam resistere possit; quae cum gravissime unumquemque afficiat, id praestat, ut iam ad virtutem bellicam animos accendat, iam dolorem leniat, obliteretque acerbissimorum malorum memoriam, iam summo cultus divini ardore nos inflammet, iam denique pietatem, misericordiam, alias plurimas praestantissimasque virtutes concitet.

Quo vero major accedat fides, apud veteres eam omnino egregiam ac pene divinam vim musicam habuisse, tenendum etiam, legibus fuisse cautum, ne ulla modorum mutatio fieret, sed iidem semper servarentur, qui ad recte instituendos homines aptissimi essent, non vero eos languidos aut effaeminatos redderent, aut omnino in malam traherent partem. Eoque praeter alia, spectant haec etiam, quae Platonem dixisse accepimus, leges musicas sine mutatione rerum publicarum mutari non posse.

Quanto facilius concedi potest musicam apud Graecos plurimum valuisse, si cogitemus, eam non solam quidem, ut apud nos saepius, fuisse adhibitam, sed perpetuo sociam ac comitem, adiunctam sibi habuisse posse: idque non de lyricis tantum carminibus intelligendum, sed de aliis etiam omnibus poseos generibus, adeo ut dici possit, nullam aliam novisse poe-

n) cf: Boeckh ueber die Versmasse des Pindaros.

o) cf: Cic: de Legg: l. II. o, 15.

sin Graecos, nisi quae caneretur, neque alium musicae finem atque usum, nisi ut, ea comitante, aptius ad sensus commovendos carmina pronuciari possent. p)

Sed cum haec dicimus, quo rem a nobis propositam magis probemus, addenda videntur nonnulla, quae ad antiquae poeseos naturam explanandam pertinent. In summo apud veteres poesin fuisse honore, cum multis ex aliis, tum ex eo etiam manifestum est, quod poetis vatum nomen saepissime tributum legimus. Ipsi quoque iudices aequissimi philosophi, poetas, modo sapientiae patres ac duces, modo deorum interpretes, modo filios deorum, modo musarum discipulos vocant. Quod quidem gravissimas ob causas factum existimo: non enim in levibus, minimeque frugiferis rebus tractandis omnem suam industriam collocabant poetae, sed cum ingenio ac doctrina ceteris praestarent, graviores omnino partes suscipiendas sibi esse putabant: ideoque iam saluberrima consilia, praecepta, monita tradebant; iam laudes deorum hominumque egregie de aliis meritorum celebrabant, atque eorum facta imitanda proponebant; iam religiosis ritibus propositis, homines feros a caedibus, scelerumque ac victus immanitate, ad humanitatis officia, metum deorum, legumque reverentiam deducebant, iam antiquissimas de rerum natura opiniones enarrabant. Quam egregiam sapientiam carminibus comprehensam, cum summa cantus suavitate prolatam, quis unquam negaverit, libenter animo exceptam, maximam generi humano utilitatem afferre potuisse?

At dixerit aliquis, non musicae, quos enumeravimus fructus, sed poesi potius, perpetuae comiti eius, tribuendos esse. Nullum quidem dubium est, carmina sapientissimis sententiis referta magnam ad molliendos

p) Eius quidem rei causa, iam ex ipsa orationis antiquae natura, iam ex populorum ingenio fluxisse videtur. Antiqui enim Graeci, vividissimo praediti ingenio, cum propter nondum perfectam dicendi-*artem*, ea, quibus gravissime afficerentur, oratione assequi non possent, summo quodam fervore concitati et compulsi, enitebantur rem, quam verbis non poterant, rhythmis, accentibus et modulatione quadam accuratius exprimere. Quod adeo invaluit, ut postea etiam, cum sermo Graecorum excultus iam esset, poetae tamen in eadem consuetudine constanter permanerent, tam, quod usu edocti, cantum, cum hoc dicendi genere, quod a celeriter agitato animi motu proficiscitur, aptissime iungi viderent, tum quod eius musicae sum poesi societatis admirabiles quotidie animadverterent fructus. —

agrestium populorum mores vim habere potuisse ac habuisse profecto: sed tamen nisi huic sapientiae suavitas quaedam accessisset, quae illos barbaros alliceret, sensusque eorum leniter permulceret, certe non adeo facile eos ad mitiorem et cultiorem vitae rationem poetae traducere potuissent. Sententiae enim saepe acutae, ut ait Cicero, non acutorum hominum sensus praetervolant, sonorum vero tanta vis est, ut iis et imperiti, et vulgus, et barbari maxime commoveantur. Ille quoque celeberrimus Tyrtaeus, qui Spartanorum animis summum pugnandi ardorem, patriae caritatem, periculorum mortisque contemptum inspirasse traditur, non poesi solum, sed tibiae quoque, ad cuius sonos carmina eius cantata erant, magnam gloriae suae partem debere videtur.

Neque solum ad mores informandos, musica Graecorum permultum valuit; est praeterea alia utilitas, de qua cum ipsi quidem antiqui, primis saltem temporibus, fortasse non cogitarent, nos tamen eam palam conspicimus. Ex iis, quae supra de summa poeseos et musicae coniunctione exposuimus, facile perspicere licet, fieri nullo modo potuisse, quin aliquid inde boni in poesin quoque manaverit. Ut enim, quibuscum versamur, eorum speciem ac imaginem quodammodo moribus nostris exprimere solemus, penitusque nos sensim sensimque ad exemplar eorum conformamus; sic etiam poesin ex coniunctissima illa nec non jucundissima musicae societate traxisse aliquid dicas, imprimis cum more antiquitus receptum fuit, ut iidem poetae et musici essent. Inde factum, ut, quemadmodum ipsi vates maxima sonorum dulcedine perfusi et commoti essent, ita etiam carmina quae fudebant, eadem suavitate explerent. Ne vero quis maiora a nobis arti, de qua agitur, tribui dicat, quam res et veritas ipsa concedat, videamus iam, quid nam sit, quod ex illa poeseos antiquae cum musica necessitudine profectum, suavissime animos legentium efficiat. Inter gravissimas virtutes, quibus Graecorum poesis commendatur, ea sine dubio jure meritoque recenseri potest, quod omnis carminum structura musicae legibus quam maxime sit adstricta, atque accommodata. Ut enim in musica acutis gravibusque sonis, longis et brevibus una permixtis absolutus quidam concentus efficitur, ita etiam in poesi Graecorum mira quadam concinnitate maxime aures capiuntur, quae tum ex deprimendis tollendisve syllabis pendet, tum ex earum mensura, ad tempus quo efferuntur, nunc longius, nunc brevius, relata.

Haec praeterea musicae societas summam elocutionis suavitatem ac dulcedinem poesi comparavit, Cum enim apud antiquos carmina nervis

tibiisve sonantibus cani publice solerent, id quam maxime annitebantur poetae, ut suavissimo etiam vocabulorum sonitu orationem suam musicae aptarent. Itaque tum in delectu, tum in collocatione verborum, tum denique in formandis ipsis vocabulis, consilio et arbitrio aurium potissimum utebantur; praesertim quum multum ipsorum interesset, ne inconditis vocibus offenderent audientes, quorum aures teretes esse sciebant; aliter enim nec eos commovere, nec benevolentiam, quam semper magni faciebant, conciliare ullo modo potuissent.

Ideoque neminem inveniri puto, qui, dummodo literas antiquas non a limine solum salutaverit, sed liberaliter iisdem fuerit instructus, cum veterum poetarum carmina legat, eaque ad leges metricas, ut par est, referat, jucundissimo voluptatis sensu compleri se non fateatur. Atque id omnino est, quo poesis antiqua longe recentiori praestat. q)

Aliam praeterea utilitatem hic musicae cum poesi concursus peperit: haec enim non solum exulta est mirifice illius ope, verum etiam ab interitu servata. Nam quomodo aliter iniuriam temporis effugissent tot antiquissima literis non mandata carmina, nisi, poesi cum musica coniunctissima, ab omnibus fere cantata essent. Ita et Homeri et Hesiodi celeberrima poemata quod vetustas oblivione non obruisset, *Rhapsodois* potissimum debemus, a quibus in conventibus publicis, ex instituto antiquorum, ad citharae sonum canebantur.

Sed

q) Sunt qui, linguarum veterum studium utpote difficile, molestum, parumque necessarium reiicientes, opinentur se ex versionibus de iis, quae in antiquorum scriptorum monumentis continentur, optime iudicare posse: quod quidem, cum in omnibus scriptionum generibus falsum est, tum imprimis, si ad poesin referatur. Neque tamen is ego sum, qui versiones penitus spernendas putem, immo persuasum habeo, hoc laboris genus, tum ad linguam, qua utimur, perficiendam, tum ad ingenium ex olendum, plurimum valere; sed cavendum existimo, ne nimium cuique tribuamus versioni. Multa enim eaque difficillima ab iis postulantur, qui opera quaedam in aliam linguam vertenda suscipiunt; in poesi autem antiquorum id praeterea gravissimum censeo, quod in ea suavitas quaedam et concinnitas insit, quam imitatione se asscutorum esse frustra speraret is, qui non perpolito ac perfecto eodem modo sermone uteretur. Iis potissimum, qui carmina graeca vel latina in eam linguam, in qua ratio metrica desideratur, convertenda aggrediuntur, hoc accidere solet, ut, licet acutissimo praediti ingenio, et praeclara instructi doctrina, mentem auctoris optime ceperint, tamen tantum absit, ut versio eorum concinnitatem, qua carmina antiquorum commendantur, expressam ad imaginem reddat, ut saepius nihil nisi rude quoddam specimen exhibeat.

Sed, ut ad suavitatem illam, de qua antea diximus, insuper redeamus; eius quidem indicia non in poesi solum animadvertimus; quin immo oratio Græcorum soluta, eo maxime delectat, quod mira quadam elocutionis dulcedine sit refertissima; quam omnino ex musica etiam profectam esse nemo inficias ibit, quicumque rem eam diligentius consideraverit. Nam constat primum, vetustissimos Græcorum scriptores poetas fuisse, eorumque conatibus linguam esse excultam, perpolitam, factam præter alias omnes flexibilem atque ad omnes affectus exprimendos idoneam: insequentibus igitur temporibus, quum philosophi, historici, oratores, alii viri docti pedestri sermone uti coepissent, invenerunt iam linguam suaviloquentiæ ex musica profectæ plenissimam, cuius manifesta in suis etiam scriptis vestigia expresserunt. Quod quidem eo facilius fieri poterat, cum, ut ex iis, quæ supra de usu musicæ maxime frequentato protulimus, manifeste patet, non poetæ solum, sed etiam illi ipsi prosæ orationis scriptores, artis, de qua agimus, rudes minime essent, atque in numeris tritas ac exercitas haberent aures. Si quidem præter Platonem, quem studiosissimum fuisse musicæ compertum habemus, quique in Timæo ne intelligi quidem, nisi ab iis, qui in hac arte sint versati, potest; quis unquam inficiatus fuerit, elegantissimum illum oratorem Isocratem musicæ calluisse præcepta, quem Cicero primum intellexisse dicit, in soluta quoque oratione modum ac numerum quendam servandum esse. Quis est, qui cum Xenophontis opera legat, maxima quadam suavitate ac dulcedine refertissima, peregrinum in musicæ disciplina eum non fuisse dubitet? Nec Demosthenes, ut ait Cicero, tantopere fulmina vibrasset, nisi muneris contorta ferrentur. Plures persequi scriptores non libet, ne in re quam maxime perspicua exponenda nimius cuiquam videar; at illam mollitudinem, lenitatem et concinnitatem Græcorum propriam, in aliis etiam eminare auctoribus, nemo nisi iniquus denegabit.

Quanta denique inter linguam, mores ac musicæ rationem necessitudo intercedat, optime Jonum et Dorum exemplo docemur. Jones quidem, quibus fere hoc vitio vertebatur, quod eorum cantus a pristina modulatione penitus recessissent, atque ad mollitiem essent delapsi, r.) eadem etiam sermonis lenitate ac vivendi facilitate innotuisse scimus. At Dores prorsus ab iis diversi, quibus et magnificentia et dignitas cum vehemen-

B

r) Athen: l. 14. c. 5.

tia quadam tristitiaque coniuncta tribuuntur, ita etiam dialectum, qua usi sunt, excoluerunt, ut eorum ingenia, moresque optime referret: musicam item apud eos simili quadam gravitate insignem fuisse, non solum carmina eorum lyrica testantur, in quibus animi sensus motusque varios et expressa rhythmo videmus, qui ipso quasi ingressu ac sono suo vim maximam et vehementiam declaret; verum hoc etiam, quod modus Doricus, quippe gravissimus, in rebus sacris potissimum adhiberetur.

Hactenus de ipsis tantum Graecis egimus, restat, ut de Romanis pauca quaedam addamus, ex quibus sane appareat, quid inter utriusque populi ingenium intersit. Cum multa alia, tum haec etiam, quae usum musicae spectabant, instituta cum Graecis communia habuerunt Romani: itaque et in rebus sacris et in re militari et in funeribus et in epulis et in nuptiis musicam apud eos adhibitam fuisse legimus. Hic tamen usus, partim ab Hetruscis, partim a Graecis Romam illatus, penitus ad Romanorum ingenium conformatus est. Ac primum quidem, quod ad res sacras attinet: in iis iam maximum inter utrumque populum conspicitur discrimen; ex indole enim ac disciplina Romanorum fluxit haec consuetudo, ut in rebus divinis cuncta seria, magisque ad tristitiam composita proponerentur, diesque festi summo cum silentio celebrarentur, cum Graeci omnia animo laetitiae pleno peragere solerent. Proinde musica adhibebatur hic quidem, sed tamen neque adeo frequenter, neque tanto cum studio et ardore, veluti apud Graecos. Nec alia sane causa est, quod lyrica poesis nulla diu esset apud Romanos, cum eam a Graecis, inde ab antiquissimis temporibus, usitatam et cultam fuisse videamus.

Quum vero rei militari quam maxime dediti essent Romani, eam musicae partem excolendam potissimum curarunt, quae usui bellico inseruiret.

Vim quoque apud Romanos, neque ad linguam perpoliendam, neque ad animos virtutis studio inflammandos musica tantam exercere non poterat, quantam apud Graecos: cuius quidem rei cum plures afferri possent causae, tum ea etiam, quod non eadem ratione musicae disciplina cum poesi Romanorum coniuncta erat, quam in Graecorum populo vidimus. Memorantur quidem apud Romanos in epulis ad tibiae sonum carmina quaedam de clarorum virorum laudibus antiquitus cantata, qui tamen mos neglectus postea esse videtur. In sacris porro Martis etiam versus quidam canebantur, verum hi, posteriori saltem aetate, nihil effice-

re poterant, cum, ab ultimis et oblitteratis repetiti temporibus, non ab audientibus solum, sed ab ipsis etiam, qui ea canerent, sacerdotibus parum intelligerentur.

Ceterum carebat omnino diu apud Romanos musica illo honore publico, quem ei a Graecis exhibitum fuisse legimus, quod cum pluribus ex aliis, tum ex eo etiam perspicui potest, quod Cornelius Nepos in operis sui praefatione refert. Neque, si cogitemus Romanos summo cum studio gladiatoriam exercuisse artem, in eaque sibi quam maxime placuisse, mirabimur profecto, ludos musicos in hoc populo nullos antiquis fuisse temporibus.

Verumtamen ex quo Romani in literis et artibus Graecos imitari coeperunt, musica etiam in dies magis magisque ad altiorem honoris gradum, imprimis inter doctos, provehebatur. Invaluit mox opinio hanc artem et ad eloquentiam et ad poesin perficiendam plurimum prodesse, quam quidem sententiam et Cicero et Quintilianus et alii aevi illius scriptores tuentur. s.) Ab Augusti temporibus major praeterea musicae accessit honor; is enim ludos Actiacos instituisse traditur, summa cum magnificentia celebratos, ubi praeter alios, musici quoque certasse feruntur. Exemplum eius secuti sunt plures imperatores; inde factum, ut postea, et Romae et aliis in locis imperii Romani, certamina musica exhibita legamus. Nunquam tamen usus eius disciplinae adeo frequenserat, ut apud Graecos, ut qui non ex ingenio populi, sed ex imitatione potius fluxerit.

Haec pauca habetis, Juvenes ornatissimi, ex quibus de musicae antiquorum usu et vi, quam tum ad mores formandos, tum ad linguam excolendam habuerit, indicare possitis: iam vero vestrum est, ut, cum assiduam literis antiquis operam navantes, eximiam Graecae et Romanae linguae iucunditatem ac suavitatem cognoveritis, hac animos sensusque vestros imbuere, tum vero, quanto maximo poteritis studio, in patrio quoque sermone eandem pulchritudinis speciem exprimere conemini. Non

*) Quantum posterioribus temporibus nonnulli Romanorum musicae tribuerint, vel ex eo colligere licet, quod Cicero in lib. III: de Or: refert: inter plura alia, ad rem nostram aptissima, memorat quoque Graecum in dicendo usum esse homine, qui eburnea fistula inflaret sonum, quo illum aut revocaret a nimia contentione, aut remissum excitaret.

F
20.002/16

desunt Vobis in nostra quoque civitate egregia ad hanc rem exer-
citamenta; iam plures viri docti videntes quantum valeat oratio
meris modisque adstringatur, de ea ad musicae rationem penitus
manda ac excolenda cogitarunt. t.) Persequamini sedulo vestigia eorum,
hoc enim modo, jucundissimam linguae nostrae dignitatem venustatemque
conciliaturos vos esse, persuasum habetote.

t.) Huc pertinet disputatio doctissimi Elsner — O metryczności i rytmiczności języka
polskiego — w Warszawie 1818. Ad leges ab eo propositas Brodziński Vir ce-
leberrimus carmina condidit, quae eidem commentationi adiunxit.



INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA
00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 42
Tel. 26-68-63

F

20002

1827

6